

1758. MENSE NOVEMBRI. VARASDINI.

*Articuli Generalis, A. 1758. 27. et sequentibus mensis Novembris diebus,
Varasdini, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, in Generali Eorundem, ex Edicto et sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis, Domini Francisci de Nadasd, Perpetui Terrae Fogaras, praefatorum Regnorum Bani, Eorundemque Confiniorum Colapiano-Vunanorum Supremi Capitanei, Generalis Campi Mareschalli, unius Legionis Equestris Militiae Hungaricae, duorum praeterea Pedestrium et unius Equestris Regiminum Banalium Colonelli, Sacratissimae Caesareo-Regiae Majestatis Actualis Intimi Consilarii, Comitatum Comariensis perpetui, Alberegalensis vero Supremi Comitis, pro die 13. et subsequis Mensis Novembris 1758, Varasdini, celebrata congregatione conclusi.

(Caeteris exmissis.)

Articulus Tertius.

De emolumentis Petrinensibus Commissariatui Regni resignandis.

Siquidem occasione resignationis Loci Petrinya, ex parte Dominorum Statuum et Ordinum Regni Militari Confiniorum Banalium Statui factae, antea per Commendantes Loci ad rationem sui desummi solita emolumenta, ad rationem Cassae Regni per Commissarium exigenda tam virtute Benigni Diplomatis Caesareo-Regii quam exemplo residuorum Banalium Confiniorum reservata fuissent, hactenus tamen praeter solum Naulum et Telonium et haec novissime duntaxat resignata, nihil e reliquis emolumentis Cassam Regni ingressum esset, ideo conclusum est: ut praeter suprafata Nauli et Telonii beneficia etiam proventus Fori, tam hebdomadalibus, quam solemnioribus Nundinis obvenientes, praeterea macecelli, Glandinationis, Decimarum item vini et frumenti, praeterea Fiscalitatum et Boum Divisionalium emolumenta Dominus Confiniorum Banalium Commissarius ad rationem Cassae Regni percipat, huncque in finem Fori Magistrum necessaria cum Instructione sufficiat. Ex his porro Emolumentis Parocho Petrinensi pro victu Capellani 30 florenos, eidem autem Capellano titulo Stipendii 30 itidem florenos Annue persolvat; circa repartitionem vero horologiarii cum horologiario annuam accordam ineat, et Dominis Statibus et Ordinibus referat antelatus Dominus Commissarius. Caeterum cum publice constet, Incolas Petrinenses sustentationem suam ex quaestu et traphica habere, exindeque Militaria praestare servitia, ideo ex peculiari hac reflexione, ac sine consequentia exinde formanda, decreverunt Domini Status et Ordines: ut educillum totius Anni pro antelatis Incolis liberum relinquatur. Denique cum Sylvae Petrinenses viciniores sub praetextu procurandorum pro Domino Loci Commendante foenicorum (etsi antiqua